

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7414

**Autre(s) référence(s) :** Round 912

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Coutances, Saint-Lô (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1180-1189]

**Lieu d'émission :** Valognes

**Action juridique :** confirmation générale

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation générale des biens appartenant à l'abbaye de Saint-Lô en Cotentin.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delaborde Henri-François, *Recueil des actes de Philippe Auguste, roi de France*, t. 1, années du règne I à XV (1er novembre 1179-31 octobre 1194), Paris, Imprimerie nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France ; V), 1916, n° DCCXXXV, t. 2, p. 363-367.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 912.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 364. Souscription de Guillaume du Hommet, connétable depuis 1179 ; Henri II n'est revenu en Normandie qu'en 1180.

Texte établi d'après a

H., Dei gratia rex Anglorum et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, et omnibus ballivis et fidelibus suis, salutem. Sciatis me dedisse et presenti carta mea confirmasse Deo et ecclesie Sancti Laudi in Constantino et canonicis regularibus ibidem Deo servientibus, in liberam et perpetuam elemosinam, feriam unius diei in octabis Pasche, et XX. solidos Andegavensium per singulos annos de reddito meo vicecomitatus Constanc[iensis] de termino festi Sancti Johannis, et quietanciam omnium rerum suarum de theloneo et passagio et pontagio et de omnibus consuetudinibus, quas homines sui poterunt affidare suas esse proprias. Preterea concedo eis et confirmo omnes subscriptas rationabiles donationes sibi factas et cartis donatorum confirmatas : Ex dono et concessione episcoporum Constanciensium, Algari videlicet et Ricardi successoris sui, et confirmacione archiepiscoporum Rothomagensium Hugonis, Rotrodi et Walteri, ecclesiam Sancti Laudi in qua prefati canonici manent, cum antiquis prebendis et omnibus decimis et hominibus et mansuris et terris in castello et in villa Sancti Laudi, cum molendinis

et rebus ad eam pertinentibus, ecclesiam Sancte Marie de Castello, cum omnibus decimis et elemosinis ejusdem parrochie ; ecclesiam de Echeudrevilla, cum omnibus oblationibus et tercia parte decimationis ejusdem ville et cum terra ad eam pertinente ; in ecclesia Sancti Egidii X. libras Andegavensium annuatim ; ecclesiam Sancti Georgii de Montchoc, cum omnibus decimis et terris ad eam pertinentibus, et cum decima molendini Rainaldi de Maiseriis ; in Curceo decimam illam quam tenuit Basilia uxor Richardi de Suilleio, et decimam totius decimationis Constanciensis episcopi in Popivilla, in Valoniis, in Ivetoth, in Hubertvilla, in Escheudrevilla ; ecclesiam de Campo Repulso, cum omnibus decimis, exceptis duobus manipulis de terra Gilleberti de Praeriis, et cum terra elemosine et cum decima molendini ; ecclesiam de Contreriis, cum omnibus decimis et terra elemosine, et cum decima molendinorum ; ecclesiam de Maisnillo Ulrici, cum omnibus decimis et elemosinis et terris et virgultis ad eam pertinentibus, et IIII. acris terre circa ecclesiam suam, de dominico Constanciensis episcopi, et terram de Martini Villa, cum hominibus ibidem manentibus et masuris Baldewini, Radulfi Nobilis, Osmundi Regis, Goscie Vigilis, Ernisi, duas masuras que fuerunt Alberede de Savigneyo, et masuras Gaufridi Amioti, Gaufridi Colrasi, Guillelmi Cloet, Radulfi Duri Denarii, Hugonis molendinarii, Richerii Gute d'or, Hernisii filii Hersendis, Ricardi Tempeste, et aliam quamdam juxta illam, et acram terre que fuit Odonis filii Austasie, et acram terre que fuit Radulfi Magistri, et masuras Petri de Gardino, Ricardi de Vivario, Rogeri de Rocheroel, Picoti, Serlonis presbiteri, et ortum quemdam quem dedit Alanus de Brientona, et terram arabilem que fuit Raineri de super Viram ; apud Constancias, domum Ricardi nepotis capellani, masuram de vico Sancti Georgii, et masuras Walteri Oilardi et Rogerii filii Turgisii, et terram Ernisi le Varet, et masuram que fuit Gileberti Vasseleur, et masuram quam habuerunt de Guillelmo filio Revelini in castello Sancti Laudi, et masuram Willelmi Hatutii, et pratum et molendinum tanerez que fuerunt Roberti Nepotis, et plateam inter ecclesiam Sancte Marie de Castello de Sancto Laudo et viam, quantum presbiterium ipsius ecclesie protenditur ; et ecclesiam de Maisnillo Roscelini, cum omnibus decimis et elemosinis et terris ad eam pertinentibus, et cum decima molendini ejusdem ville, et partem illam ecclesie Sancti Ermelandi que erat de feodo Johannis de Campellis ; et ecclesiam Sancti Thome martiris apud Sanctum Laudum. Ex dono Radulfi de Haia, XIII. acras terre et unam salinam que dicitur salina Karon, pro excambio XIII. quarteriorum frumenti et VI. solidorum que pater suus dederat eidem ecclesie prius et ipse confirmaverat. Ex dono Guillelmi de Traci, decimam molendinorum suorum de Humeel. Ex dono Sibille uxoris Henrici Merlet, assensu ipsius Henrici, IX. acras terre tam in bosco quam in terra plana, intra fossata nemoris quod dicitur Solerium, et VIII. acras extra fossata versus boscum Ale, cum predicto bosco de Solerio, cujus medietatem habent ex dono prefate Sibille, et alteram medietatem ex dono Thome Castel, concessione Radulfi de Haia domini sui. Ex dono Willelmi diaconi de Sancto Egidio, decimam feodi sui apud Periers, retenta ecclesie ejusdem ville redecimatione hominum suorum quos ibi habebat, et tercia garba gaaingnagii terre de dominico suo, et domum Foberti apud Sanctum Egidium, et unam acram terre versus Buscaliam, quam Baldewinus prior et conventus Sancte Marie de Voto dederunt eis in excambium propter partem suam decime terre illius in qua abbatia eorum sita est. Ex dono Willelmi de Sola, et concessione Willelmi filii sui, ecclesiam Sancti Ebremundi de Bono Fossato, cum omnibus decimis et terris et elemosinis ad eam pertinentibus. Ex dono Ricardi de Vado Herberti, locum Sancte Trinitatis de Roella, cum ecclesia Sancti Supplicii de Vado Herberti, cum decimis et elemosinis et terris ad eundem locum pertinentibus. Ex dono Girardi de Bruis, XXIII. quarteria frumenti et V. solidos in molendino suo de Londa per singulos annos. Ex dono Willelmi Britonis, ecclesiam de Maistreio, cum omnibus decimis et elemosinis et terris ad eam pertinentibus et cum decima molendinorum. Ex dono Roberti de Sancto Remigio, mansuram Tustini Bodin. Ex dono Thome filii Johannis, et concessione Thome de Colunciis et Hugonis filii sui, ecclesiam Sancti Johannis de Beisanz, cum decimis et omnibus pertinenciis suis. Ex dono Odonis filii Azalidis, et concessione Guillelmi de Semilleio, VII. solidos de terra Mazeline et Gaufridi filii ejus. Ex dono Gileberti Oison et Lietie uxoris sue et Willelmi filii sui, partem illam ecclesie Sancte Marie de Ketevilla que est de feodo eorum, et jus patronatus ejusdem partis, cum omnibus pertinenciis suis. Ex dono Willelmi de Moion, jus advocacionis quod habebat in ecclesia Beate Marie de Maisnillo Ospac, et ipsam ecclesiam cum pertinenciis suis. Ex dono Roberti de Prato Corbini, et concessione Ingerranni de Sai domini sui, et concessione Jordani de Maisnillo, ecclesiam de Prato Corbini cum omnibus decimis et elemosinis et terris ad eam pertinentibus, et cum decima molendinorum. Item ex dono Roberti prenominati, apud Pratum Corbini mansuram Gosmerii. Ex dono Berengarii de Gonnovilla, X. acras terre apud Rocham et terciam partem prati sui. Ex dono Willelmi de Haia, unum sextarium frumenti in ecclesia Sancti Martini de Maisons. Ex dono Roberti de Vaudari et Willelmi filii sui, et concessione Thome de Colunciis et Aelicie uxoris sue et Hugonis filii sui, capellam de Maisnillo Corbet, cum omnibus decimis et elemosinis et terris ad eam pertinentibus, et cum decima molendini ; insuper ex dono ipsius Thome et Hugonis filii sui, X. acras terre in eadem villa de dominico suo. Ex dono Philippi de Crolleio mansuram Popeline apud

Monfai. Ex dono Ranulfi de Sancto Egidio, feudum Ricardi de Landa. Ex dono Willelmi de Petra Ficta, decimam molendinorum de Foumoignon et de Spina, et tria quarteria frumenti in molendino de Foumoignon. Ex dono Gaufridi filii Hervei de Montsaol, annuente Thoma fratre suo, concessione Willelmi de Petra Ficta, pratum inter duos molendinos (sic) super Doleam. Ex dono Corbini de Agnellis, unam minam frumenti apud Levillam. Ex dono Willelmi comitis Arundelle, unum sextarium frumenti capiendum de molendino Roardi apud Aubigni. Ex dono Johannis de Meltiz, terram illam pro qua Willelmus Nobilis reddebat annuatim unum quarterium frumenti, et illam pro qua Willelmus filius Adeline reddebat similiter unum quarterium frumenti apud Meltiz. Ex dono Rannulfi de Aneseio, jus advocacionis quod habebat in ecclesia Beate Marie de Rampen, et ipsam ecclesiam cum pertinentiis suis. Ex dono Guillelmi de Diva, XII. quarteria frumenti in ecclesia de Flureio, per compositionem factam inter abbatem Sancti Laudi et Engelrannum de Humetis super molendino de Martinvilla, medietatem ipsius molendini. Ex dono Jordani filii Thome, et concessione Ricardi Constanciensis episcopi, ecclesiam Sancti Audoeni, cum omnibus decimis et elemosinis et terris ad eam pertinentibus, et cum decima molendini ipsius Jordani. Ex dono Willelmi de Sicca Villa, ecclesiam Sancti Petri de Grismesnil, cum pertinentiis suis. Ex dono Helti de Melfa, X. acras terre apud Melfam. Ex dono Hugonis de Bernesc, decimam molendinorum suorum apud Bernescum. Ex dono Ricardi de Luci, locum Sancte Crucis de Wasto. Quare volo et firmiter precipio quod prefata ecclesia Sancti Laudi in Constantino et canonici regulares in ea Deo servientes omnia supradicta habeant et teneant in libera et perpetua elemosina, bene et in pace, libere et quiete, integre, plenarie et honorifice, in ecclesiis, in decimis, in terris, in bosco et in plano, in pratis et pascuis, in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis et piscariis, in viis et semitis et omnibus aliis locis et rebus ad ea pertinentibus, et cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut carte donatorum testantur.

Testibus : Willelmo de Aubigni comite Susexie, Willelmo de Humetis constabulario, Willelmo de Sancto Johanne, Bertranno de Verduno, Willelmo de Moion, Richardo de Canvilla, Stephano de Turn.  
Apud Valonias.